Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3057
Quelle:
Copyright:

Bibebant pateris et auro. i. aureis ciphis. Linguarum ignarum inde arguas, quod ad *v.* 8. literam Ω *Hebraeis* tribuit. Abrumpitur tractatio in C. XII. *v.* 11. in verbis istis: *Anima enim pro vita ponitur in diuina pagina in pluribus locis* — —.

IX. *fol.* 41. manu nitida Sec. XII. lineis a se invicem distantibus, brevibus, ut Glossae inter lineas et in utroque margine locus esset, Iconismis quibusdam ornatae *Epistolae Canonicae* seu *Catholicae* VII. quarum Prima *Jacobi* initio mutila ab his verbis C. II. v. 18. inchoat: *fidem habes et ego opera habeo.* Divisio in Capita nulla. Voces multae adspiratae, ita: *hostende, hysaac, hora* &c. Secunda *Petri* sub initium legitur *coequalem in nobis* pro *nobiscum*, et *in cognitione domini nostri* pro *Dei et Christi Jesu domini nostri.* Testimonium duplex I. *Job.* c. 5. nunc sic habet: *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in terra. Spiritus. Aqua. et sanguis. Et tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in celo. Pater uerbum et spiritus Sanctus. et hi tres unum sunt.* Sed membrana, ut adparet, hinc inde rasa et rescriptionem passa est. *V. penult.* pro *in vero filio ejus* legitur tantum *in filio ejus.* Glossa Epistolis addita cum ordinaria est *Walafr. Strabi*, tum *Anselmi Laudun.* interlinearis. Priorem etiam adjunctam habet *Hieronymi Prologus* in VII. has *Epistolas*, qui incipit: *Non ita ordo est apud Graecos* &c. et in *Cod.* nostro *Epilogum* agere jussus est.

DCCCXLII.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 50. 4. luculente scriptus, rubricisque distinctus Liturgicus est, sive *Cantionale* notis Musicis instructum. Quae continet, sequentia sunt: *Cantus ad ponendum primum* (Ecclesiae) *lapidem. Cantus pro consecratione ecclesie et altaris seu altarium. Cantus reconciliande ecclesie. Cantus ad consecrandum nouum cimiterium. Cantus in celebratione ordinum. Cantus sanctimonialium* i. e. dum velantur. *Officium in reconciliatione ecclesie. In dedicatione altaris. In dedicatione ecclesie.* Et deinceps Versiculi modulis adstricti de pluribus Festis majoribus, et de Communi Sanctorum. Accedunt *fol.* 46. Instructio de *Casibus reconsecrandae* et *reconciliandae Ecclesiae*, de *Consecratione Altaris*, de *Consecratione Cymiterij*, de *Confirmatione*, et *Littere Indulgentiarum* pro iis, qui ad sustentandas inopes ecclesias stipem contulerint. Promulgat eas *Andreas Episcopus Constaten. Episcopi patauiensis cooperator in pontificalibus*, sed nomen *Andreas* et *Constaten.* a recentiore manu rescriptum est; *Andreas* enim iste teste *M. Hansizio Germ. Sacr. T. I. coroll.* 6. primum circa an. 1477. Suffraganeatum gessit, cum *Codex* noster longe ante exaratus fuerit. Ita enim Clausula miniata: